



PANEGYRICUS
DIVO
IGNATIO
^{DE}
LOJOLA,
SOCIETATIS JESU
FUNDATORI
DICTUS,

Cum in Cæsareo-Academica
SOCIETATIS JESU ECCLESIA

Ejusdem Sancti Novenna

Solenni ritu inchoaretur

A

PERILLUSTRI ADOLESCENTE
FRANCISCO DE PÖCK,

Austriaco Viennensi,

Humaniorum Literarum Studioso.

ANNO M. DCC. XLIX. Die XXX. Julii.



EX TYPOGRAPHIA KALIWODIANA.

1415



315



ORATIO.

Dum me in hac tanta diei,
ac loci hujus celebritate
pro solenni more supe-
riorum temporum lauda-
tionem publicam adornare voluistis
AA., vereor, ut in tam ampla, tam-
que uberi orandi materia reperiam ali-
quid, quod & ad Divi Tutelaris vestri
laudes ornamentum adjicere, & ve-
stræ in eum possit satisfacere pietati;
seu enim ad virtutes, ac innumera ejus
in vos promerita, seu festos hosce ap-
paratus, qui singularis vestræ in eum
fiducia, studii, pietatisque sunt mo-
nimenta, animum adverto, tanta, tam-
que absoluta occurrunt omnia, ut nec

ardor, fiduciaque vestra quidpiam incrementi ultra capere , nec Divi merita ullo a me laudationis argumento exæquari posse videantur. Neque tamen inde est , quod aut mihi ab imposito hodie oratoris munere, aut vobis a præclara superiorum temporum consuetudine discedendum putem, qua jam inde a tot annis festam hanc lucem IGNATHI honoribus ita sacram voluistis, ut palam omnibus, hoc in loco, stata quotannis ejus in vos meritorum commendatione studia, fiduciæque vestram cupiatis revocari : scio tenue est omne filiorum in parentes officium, tenuis pietas ; at quod in eo vos solenni hoc more , institutoque vestro elaborare videam, quod filii in Parentem Sanctissimum pietas, quod Clientum in Sanctum Tutelarem Studium , quod grati animi officium requirit, id vero non possunt non boni omnes magnopere probare , tum quod plurimum emolumenti inde scimus emergere , tum quod pietatis saltem laudem nobis colligere licet.

Et vero num rectius vos alio con-
figere oporteat , atque ad Divum
hunc , quem tanta pietate colitis , Tu-
telarem vestrum ? cujus præsidium ,
patrociniumque longe potentissimum
esse vel inde adeo conjicere potestis ,
quod is mira quadam , & incredibili
per omnem vitam DEUM fiducia ita
sibi jam tum devinxit , ut præsentissi-
mum rebus perditis remedium afferre ,
promptissimumque in omnia vota sua
Numen habere soleret . Num adhæc
aliunde certius , securiusque vos au-
xilium expectare deceat , atque ab
eo , in quo ipse summus rerum arbi-
ter miseris , afflictisque rebus ortho-
doxis opem allaturus veluti fiduciam
quandam collocasse videtur ? Rechte ita-
que vos AA. omnes spes vestras fir-
missimo , certissimoque IGNATII
præsidio delegatis , recte in eo confi-
ditis , qui , dum etiamnum in vivis de-
geret , unice in DEO , & in quo ipse
adeo DEUS fidere consuevit ; quod
ne confidentius a me , quam verius
dictum putetis , id totius laudationis

meæ argumentum delegi hodie, in quo ita versabor, ut Sanctum primo, qui unice in DEO, deinde vero Sanctum, in quo ipse quoque DEUS confidit, vobis IGNATIUM sim exhibitus. Argumentum hoc etsi longe infra Sancti merita, vestramque in eum pietatem esse intelligam, neque tamen fors a diei hujus celebritate abfuturum arbitror, aut a vestra in me humanitate alienum: vos itaque, dum id paucis, & quoad temporis patientur angustiæ, exequar, dicentem benevolè auscultate.

CUm virtutes omnes ita ardo quodam necessitudinis inter se vinculo sint conjunctæ, alias ex aliis ut enasci, ac consequi sit necesse; tum illud fidens in DEO animus peculiari quadam ratione sibi vendicat, nullis ut tristium rerum eventibus commoveri, nulla adversorum vi infringi, nullis invidorum telis, malevolorum fraude, calumniatorum libidine possit labefactari: dum res suas prope exitium esse,

se, dum spes omnes accisas videt, non pacem superum, amicorum fidem, potentum opem exposcere: non conflata in se alieno scelere odia, conjectaque crimina queri: non denique, quæ in humanis opportunum rebus afflictis vel levamen, vel remedium afferre posse videntur, ea aut admittere, si suppetant, aut si defint, quoquomo-
do accersere consuevit: quid? quod amplius est adeo etiam ægritudine inde nulla afficitur, ut potius de immis-
sis citra culpam suam id genus malis,
quanquam & natura sua, & temporis
sæpe diuturnitate longe acerbissimis si-
bi magnopere soleat gratulari.

Jam quid vero horum AA. reperiri potest, quod non ab IGNATIO cu-
mulate fuit præstitum? Nullum certe,
quod sciam, in tanta Scriptorum va-
riete, in tanta, qui adhuc nobis de
eius vita vulgabantur, commentario-
rum multitudine est reperire, qui non
gravissimis identidem IGNATIUM
agitatum tempestatibus, maximas ab

eo exhaustas incommodorum molestias,
acerbissimos denique quosvis casus
fortissime toleratos nobis commemo-
ret; non regio, non civitas, non do-
mus pæne ulla, quas alias ex aliis lon-
ge plurimas incoluerat, numerabatur,
in qua non identidem cum fortuna,
facinorosorum hominum grege, cum
omni denique incommodorum gene-
re Viro Sanctissimo erat decertandum:
Barcinonem, Manresam, Complutum,
Salmanticam, Alcalam, Parisios, Ro-
mam cogitationes tantisper vestras
transferte: Hispanias, Belgium, Gal-
lias, Palæstinam, Italiam omnem ani-
mo AA. oculisque peragrate; quæ
omnes quam magnæ, quam latæ erant
urbes, oppida, regna, ac provinciæ,
tam amplam IGNATIO ante a me al-
latarum, virtutum materiam suffecere.
DEUM immortalem! spectatisne hic
Viri integerrimi mores, vivendique
rationem ab omni culpa remotissimam
conceleratorum oribus, ac linguis pro-
scindi, carpi ubique doctrinam castis-
simam, ut fallaciis, ac dolis omnibus
ad

ad hæreticæ pravitatis pestem in ipsa Ecclesiæ viscera infundendam , alienumque consutum hominem ad sacra raptari tribunalia , iterum , iterumque ad vincula , ad carceres , ad scopas iniquissime condemnari , nonnullorum potentum , quorum tum libidini adversabatur , dolis , ac fraudibus , multorum etiam in omnem audaciam projectorum scelere , ac calumniandi libidine bonitatem causæ , æquitatemque judicium evertente ? Videtisne ibi Tutearem vestrum tristi bonis omnibus spectaculo , per media militum castra , male tectum ut fabulam ab inspectantis vulgi procacitate iniquissime traduci ? An cernitis denque locis pluribus sanctissimum caput per summum scelus nefariis , clandestinisque impurissimorum lenonum peti consiliis , semel atque iterum , iterumque impetu ex insidiis facto , pugnis fustibus , omnique verberum diritate pene exanimatum , medio in foro , in summa bonorum omnium solitudine , nocte tantum nefas obtegente suo in-

natantem sanguini sine ope , sine fo-
mento in complures horas relictum ?
Quo hæc animo , quo vultu spectatis
AA. Nihil ego hic ad exhausti corpo-
sculi miseras , nihil ad dolorum , ma-
lorumque acerbitatem adjici posse vi-
deo : ut pæne verear , ne tam tristi re-
rum commemoratione communem in
animis vestris diei hujus lætitiam vi-
dear extinxisse ; quo tamen animi ro-
bore , ac lætitia , qua oris , vultusque
totius hilaritate hæc excepisse IGNATIUM
aut legistis sæpe ipsi ? aut alio-
rum sermone accepistis ? Possem hic , si
per temporis angustias liceret , eorum
qui ea tempestate vixerunt , qui ocu-
lis hæc stupentes usurpabant suis , be-
ne multa , certissimaque afferre testi-
monia : possem regnum , urbium , in
quibus hæc gesta sunt , loca , ac no-
mina singula designare , possem deni-
que eorum , qui aut hæc in IGNATIUM
perpetrarunt ipsi , aut magnam
partem ad id operam contulerunt ,
honorifica , quibus gestientem lætitia
Livi animum vel inviti prosequen-
tus ,

tur, dicta hic coram recitare; sed mitto hæc omnia, quod vel notiora sunt vobis, vel ad memoriam etiam acerbiora, quam ut ea pluribus a me commemorari sit necesse, & vos sine intimo doloris sensu possitis auscultare; Illud hic dissimulare nequeo, quod Salmanticam, quod Alcalam, quod Lutetiam, Romam frequentissimas urbes in stuporem abripuit, voces nempe illas animi in omni calamitate erecti, DEOque unice subnixi indices, quas miseriis, ac incommodorum suorum acerbitati indolentibus identidem ingeminaverat: non ita multas orbe tanto reperiri posse compedes, ac incommodorum molestias, quin plures, gravioresque DEI causa perpeti exoptaret. Vel ex his solis, quæ attuli, AA. confidentem in DEO Tutelaris vestri animum conjicite? qui enim erectus ita ab eo instantis miseriis servari animus? qui ægritudo a mente ita omnis abesse? qui latus, hilarisque hæc inter conservari vultus potuit? nisi in unius supremi Numinis ope, auxilioque

spem suam omnem , fiduciamque ni-
xam habuisset.

Verum reputate etiamnum tantis-
per animo , quas tum temporis pro-
vincias , quas urbes , quæ oppida in-
coluerit , cum tam graves Viro san-
ctissimo adeundæ tempestates , tam in-
flammata odia , conjectaque in se cri-
mina preferenda , tanta , tamque in-
numera malorum incommoda erant
exhaurienda : patriam , in qua tum ma-
ximam partem versabatur , generis , quo
ortus , claritatem , eorum denique ,
quos vel sanguis , vel virtus necessitu-
dine ei conjunxerat , numerum , po-
tentiamque attendite ; in tanta co-
gnatorum præsentia , virorum princi-
pum auctoritate , bonorum complu-
rium gratia num defuisse putatis IGNAT-
TIO , quæ opportunum rebus af-
flictis vel remedium , vel levamen af-
ferre poterant ? Num opes , viresque ,
quæ iis non modo ad vitam commo-
de tolerandam , sed splendide , ac lau-
te etiam exigendam suppetebant am-
plif-

plissimæ? Num locus, succurrendique
opportunitas? At quæ major vel desiderari ab iis poterat, qui eadem cum
eo patria, iisdem potissimum urbibus,
ac oppidis, eodem saepe etiam tecto
continebantur? ad quem in fordibus,
ac carcerum squallore jacentem invi-
sebant ipsi, quocum agebant quam fre-
quentissime? Num denique animus?
num voluntas in iis desiderata? quam
generis propinquitas, incommodorum
gravitas ei longe maximam apud om-
nes conciliaverant, qui Sancti miseras
miserati veluti suas ducebant; qui
magnam ei saepe pecuniæ vim, auto-
ritatem, opem denique suam omnem
non tam offerre, quam invito obtru-
dere conabantur: hæc certe omnia
tam præsentia, tam opportuna malis
depellendis remedia IGNATIO ade-
rant semper: hæc aut in manu tene-
bat ipse, aut, quod non longius po-
sita, accersi, procurarique nullo pæ-
ne negotio poterant; at quæ singula-
ris semper Divi in DEUM fuit fiducia,
quæ mira rerum humanarum despicien-

tia, quæ infaturabilis incommodorum,
ac necis DEI causa obeundæ fuit sitis,
adduci se eo nullis viribus, nullis pre-
cibus unquam est passus, ut horum
quidquam suum in commodum, ad sub-
levandas molestias, ad avertenda a se
iniquissima crimina converteret. Ma-
gnum est AA. fidentis in DEO animi
argumentum, rebus miseris, afflictis-
que nullum ab humanis remedium, nul-
lum levamen exposcere, at ea non
longius posita, ultro etiam oblata,
obtrusaque non admittere, industriis-
que insuper omnibus a se amoliri stu-
dere, id vero tantum, tamque singu-
lare judico, ut quid majus, illustrius-
que ad fidentem IGNATII in DEO
animum demonstrandum dici, cogita-
tive possit, non videam.

Restat, jam alterum quoque oratio-
nis caput paucis ut exequar, vobisque
ostendam: DEUM quoque in IGNA-
TIO confidisse. Quam ex vero tam
illustre laudis genus in Tutelarem ve-
strum congruat, magnum quidem jam

ar-

argumentum inde nos posse capere puto, quod eum benignissimum Numen exquisita, & peculiari quadam ratione ad præstantissimum illud vitæ genus traduxit, quo totum se, suamque gloriam, qual majus, potiusque nihil habet DEUS, ei curandam, servandamque reliquit; at quod eum illa potissimum tempestate ad tam præclaros, labores, tamque arduum gloriæ suæ curandæ, servandæque munus sustinendum delegit, qua tam iniquo, tam perditio res Catholicæ loco fuerant, id plane singulare existimo, quo majus, illustrissime Divinæ (ut ita dicam) in IGNATIUM fiduciæ argumentum existare haud ullum potuit.

Nostis enim vero AA. quam misero, quam afflito tum res Catholicæ constituerint loco; quam inclinata, quam formidolosa videbantur omnia? his certe in terris, quas aut modo incolimus ipsi magnam partem, aut finibus nostris attingimus, ubique expirare religio, sana, castaque exesse do-

doctrina, virtutum, honestique amor
in omnium animis refrigescere, mor-
talium plerorumque omnium mentes
densis impiorum dogmatum tenebris
involutæ in quodvis demum flagitio-
rum genus verecundia omni posita
turpissime effundi, verbo, ubique aut
immigrare, aut dominari hæresis vide-
batur; Saxoniam, Imperium Roma-
num, Germaniam fere omnem nobili-
ssimas, amplissimas provincias, in
quibus ante res orthodoxæ lœtissime
efflorescebant, optimoque loco posi-
tæ bonorum omnium animos, oculosque
mirifice rapiebant, unius ho-
minis nefario scelere, sparso impii Lu-
therani dogmatis semine eo vesaniæ.
impietatisque delapsas lugebamus, ut
quantum fere regnis aliis ante nobili-
tate, sinceræque Religionis studio,
tantum impia tum novandi libidine
præstarent cæteris; paucæ, quæ etiam-
num superabant Catholicorum reli-
quiæ suis curionibus per exilium, per
mortem sæpe orbatæ vel solum verte-
re: vel latebris vitam tueri suam co-
ge-

gebantur; Sanctissima Religione tem-
pla tot ante divitiis ornata, tanta pie-
tate, tanta omnis ordinis hominum
frequentia celebrata, aut occlusa, aut
fœde direpta sine sacris, sine aris ja-
cebant, vel certe promiscua Sectario-
rum referta multitudine insanis hære-
ticorum rabularum vocibus perstrepe-
bant, quibus supremum Ecclesiæ ca-
put per summam contumeliam pro-
scindere, ejus sanctitatem, autoritatem
que ludibrio, ac despiciunt habere,
pestilens doctrinæ suæ virus in omnium
animos diffundere, virtutem, veluti
viribus humanis superiorem abjicien-
dam suadere, & ad omnem denique
vitæ licentiam, quo ipsi ante perditissi-
mis moribus suis duces præiverant,
voce etiam palam incitare consueve-
runt: quin in ipsas etiam principum
complurium aulas cum penetrasset hæ-
resis, ibique primis fere admota sub-
selliis præsidium firmissimum, arcem-
que veluti securitatis fixam haberet,
propius factum est nihil, quam ut ma-
ximus indies serpens incrementis ipsa
pæ-

pæne Ecclesiæ viscera tam pestilens
contagio invaderet.

Is tum status erat AA. hæc temporum, morumque iniquitas: huic mederi, huic opem afferre, tam perditis, tam conclamatis rebus opitulari IGNATIUS jubebat; quot quantique hic Tutelarem vestrum circumstant labores? quam ardua sustinenda provincia, ad quam deligi, servarique se provido Numinis consilio videt? Erat nempe illa tum sua natura perquam ardua, tum vero inde etiam multo difficillima, quod cum tanta temporum, morumque iniquitate fuit conjuncta: perpurganda namque erat ab hæresi non domus, non civitas, non regio una aliqua, sed amplissimæ, frequentissimæque provinciæ, ubi ea, principum quorundam nixa studio tam altas radices egerat, tam in omnium animis, atque voluntatibus jam infederat, nullis ut remediis, nullis viribus labefactari, exterminarique posse videretur; restituendus erat suus aris

ac templis honor , suum virtuti pre-
tium , amorque in omnium animis ex-
tinctus ; ejiciendus e Germania pene
tota pestilens haereticorum tabularum
grex , qui nulla legum reverentia con-
tineri , nulla magistratum arceri vigi-
lantia , nullis penitentiis comprimi , exscin-
dique poterat ; traducendi ad frugem
erant animi tum sua natura ad vitia
proclives , tum longo usu impiis erro-
ribus , omnique scelerum generi innu-
triti , eoque adducendi , receptum jam
intimis visceribus virus ut evomerent ,
haeresim ejurarent suam , animoque ad
saniores doctrinam a voluptatibus
adeo abhorrentem redirent . Quanta ,
quamque ardua , quam impedita , &
humanis vix perficienda viribus haec
sint omnia , quis non videt ? Majusne
his aliquid IGNATIO committi , cu-
randumque dari a DEO potuit , quo
quantum in eo Numen fideret , liceat
experiri ?

Atque ex his AA , commode vos
jam intelligere arbitror , quam ex ve-
ro

ro DEUM in IGNATIO confisum es-
se affirmarim , propterea quod eum
dignum, paremque censuit DEUS, qui
laborantem , jacentemque Ecclesiam
erigeret, qui se validissimis ejus hosti-
bus velut murum fortissimum oppone-
ret, eorum audaciam tantam, cona-
tusque tam impios infringeret , qui
vindicandam contra perfidiam verita-
tem , qui collapsam religionem resti-
tuendam in tanta temporum iniquita-
te sibi sumeret; eaque perficeret, quæ
effici humanis viribus vix jam posse vi-
debantur: & vero quid egerit, quid
perfecerit etiam tam perditio rerum
statu, in oculis est omnium; id pluri-
bus hic ut referam , nec tempus ad-
mittit, nec vobis necesse esse arbitror,
quod Tutelarem huic vestrum a vobis
omnibus eorum jam coli , haberique
numero videam, quibus magnam par-
tem suam Religio gravissima inter pe-
ricula servata & incolumentatem debet,
& incrementum.

Quie-

Quiesce itaque jam magne , quem
ætate hac ultima vidi orbis , Eccle-
siæ Propugnator , religionisque Serva-
tor IGNATI ! quiesce a tanto , quod
confecisti , negotio ! a tanra tamque
incredibili iaborum mole , qui virtuti
debebantur tuæ ! Fruere Divina , æter-
naque mente illa , cui tua arctissimo
per omnem vitam fiduciæ vinculo con-
 juncta semper exstigit ! Sed dum ea
jam potiris gloria , quam tibi rerum
pro DEI causa , animarum salute , Re-
ligionisque tum incolumente , tum in-
cremento præclare gestarum magnitu-
do immortalem peperit , illud nobis
potentissimo tuo apud DEUM patro-
cinio effice , præsens rerum Catholica-
rum Status , quem læti modo , hilares-
que tua incredibili opera florentissi-
mum oculis nostris usurpamus , nulla
ut unquam morum , temporumque ini-
quitate intereat . Quidquid fere est ,
quod vides Magne Tutelaris ! benefi-
cium id tuum , labor id tuus est ; hunc
serva , hunc tuere ; tuus quod sit : &
quoniam nos quoque hujus pars ali-
qua

qua sumus, cæteris Tuis in nos meritis, id quoque adjice, ut in virtutum, scientiarumque studium, quibus maximo nunc tuo beneficio excolimur, tota animi, viriumque contentione incumbamus, eumque tandem laborum nostrorum fructum referamus, quem Tu Magne Tutelaris! quem Patria, quem Religio a nobis exposcit.

D I X I









